

006

Fr. 6 B. 10

Philosoph.

B. 9

2
7
MONIMENTVM
RECTIONIS VICESIMÆ QVINTÆ
IN BEROLINENSI LEVCOPHÆO
COMMISSÆ; SVSCEPTÆ.

ID EST,

ORATIONES DVÆ,

QVAVRVM

ALTERA DE IIS AGIT,
IN QVIBVS SITVM EST,

VT BENE CONDANTVR; BENE CONSERVENTVR,
LVDI LITTERARII;

ALTERA DE

AD PLAVSV SCHOLAM
ANIMANTE
EXPONIT.

VTRAQVE HABITA PVBLICE EST

PRID. NO. APR. CLD ID CC LVIII.

PRIMAM DIXIT

VIR ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMVS, CONSVLTISSIMVS,
DOCTISSIMVS,

FRIDERICVS AVGVST. REICHHELMIVS,

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILII INTIMIS;
REGIÆ CIVITATIS CONSVL; RERVVM, QVÆ AD PAVPERVM CVRAM PERTINENT, DIRECTOR; COLLEGII, QVOD SANITATIS AVDIT, ADSESSOR, CET.

SECVNDAM RECITAVIT

IOHANNES IACOVVS WIPPELIVS.



BEROLINI,

TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI HENNINGII,
TYPOGRAPHI REGII, CLD ID CC LX.

C. 7.

MONIMENTVM
RECTORIS VIGESIME QVINTAE
IN BEROLINENSIS ACADEMIAE
COMMISSARII SVBSCRIBIT

ORATIONES DVAE

QVINTAE

ALTBRADENSIS ACADEMIAE

IN QVIVS SVBSCRIBIT

VT TIBI COMMISSARII SVBSCRIBIT
LVDI LITTEARIVM

ALTBRADE

ADBLAVSII SCHOLAM

ANIMANTE

VT TIBI COMMISSARII SVBSCRIBIT

TIBI COMMISSARII SVBSCRIBIT

COMMISSARII SVBSCRIBIT

IN ALTBRADENSIS ACADEMIAE

IN QVIVS SVBSCRIBIT

VT TIBI COMMISSARII SVBSCRIBIT
LVDI LITTEARIVM

IOHANNES JACOBUS WERBIVS

RECTOR

ADBLAVSII SCHOLAE

ANIMANTE



REGIÆ. VRBI
BEROLINO
ADMINISTRANDÆ. REGENDÆ. ORDINANDÆ
EX. MERITIS
ET. CIVITATIS. COMMODO
PRÆFECTIS
PRÆSIDI. CONSVLIBVS
SYNDICIS. CAMERARIO
SENATORIBVS

VIRIS. GENEROSIS. ILLVSTRI BV S. EXCELLENTISSIMIS
GRAVISSIMIS. NOBILIBVS. CLARIS
MECÆNATIBVS. PATRONIS. FAVTORIBVS

ALIIS
MVLTI S. HONORVM. MVNERVMQVE
TITVLIS

SVSPICIENDIS. COLENDIS. SPECTANDIS
LIBELLVM. HVNC

TOTVMQVE. ADEO. SE. IPSVM

PIVS. GRATVS. LVBENS

D. D. D

IOHANNES. IACOBVS. WIPPELI VS
LEVCOPHÆI. RECTOR.



REGIE VRBI
BEROLINO
ADMINISTRANDE REGENDE ORDINANDE
EX MERITIS
ET CIVITATIS COMMODO
PRAEFECTIS
PRESIDI CONSULTIBVS
SYNDICIS CAMERARIO
SENATORIBVS
VIRIS GENEROSIS NERVITIVIS EXCELLENTISSIMIS
GRACISSIMIS NOBILIBVS CLARIS
NECESSARIIS PATRONIS FAVORIBVS
A
MULTIS HONORVM MYRRAVORVM
TITVLIS
SACRISSESSIMO ORDINE DECANATIS
LIBELLVM HANC
TOTVMQVE AB EO SE HABEM
THEO. GOTTFR. LEHMAN
D. D.
IOHANNES JACOBVS WITTELIVS
PSYCHOLOG. PRAECEPT.






ilari & deuoto simul animo in memoriam quotidie reuoco, Mecæ nates, quot Vos quantisque beneficiis, & me; & scholam, cui operor, ornetis, reficiatis, augetis, ex quo huius Athenæi Vestri procurationi ante tres hos annos me præfecistis. Illud agitare maxime uidemini, ut, quum hominibus, qui nobiscum hodie uiuunt; tum posteritati etiam, insigniter plane per hæc phrontisterii nostri tempora consistare debeat, habuisse nunc Berolinum eius modi senatum, qui, non curam; non tutelam; non patrociniuum;

* 2

non



non custodiam; sed paternum omnino ac incomparabilem artium amorem, suscepit.

Admirari ego non desino, quam ipsa, non secunda tantum; sed aduersa quoque, fortuna præclarum hunc atque diuinum mentis Vestræ impetum adiuuet & ostendendi illius occasiones Vobis offerat.

*Bone enim deus, quam misera; quam tristis & quam calamitatum ferax ea ætas est, quæ iam, uel degitur a mortalibus; uel transigitur? Bellum; horrendum bellum, cædes, rapinæ, exactiones, metus, terror, incendia, exitium, uastatio, incursiones, pecorum festes & cum rerum ceterarum egestate lignorum quoque inopia: Hæc, pro dolor; hæc & alia sunt, quæ nimis diu; nimis pertinaciter, hominum pectora exercent; agrorum & urbium incolumitatem florere non sinunt; regnorum denique & patriæ salutem impediunt, perturbant. Vobis autem, Patres conscripti, diuinitus illud concessum est, ut, quæ moestissima per se & luctuosa sunt, uel plane non; uel minus tamen, quam metuebat, regia hæc nostra
ciuitas*



ciuitas sentiat; ea uidelicet ciuitas, quam bis iam ex hostium potestate; ex præsentissimis interitus minis, per circumspecta ubiuis consilia perque fortia diuersi generis conamina, opinione, tum citius; tum felicius, eripuisistis.

Sic mala ipsa &, quæ grauia ac periculosa contingunt, uel leuare; uel amoliri; uel efficere tandem, ut nocendi ui sua careant, Vobis datum est, Patroni.

Illæ uero, quæ leta atque fausta populo Vestro eueniunt, incredibile dictu est, quantum, ut duplo & altero tanto iucundiora nemini non accidant, laboretis unice &, ut in secundissima commutentur secunda, operam impendatis gnauiter.

Impendere uero ubique ac in commune conferre soletis isthanc ciuibus Vestris operam; non cum otii; non cum commoditatum solum Vestrarum, iactura; sed cum ualeitudinis etiam & uitæ ipsius discrimine. Nonne enim tristis quidem; uerax tamen, tantæ fidei tantæque constantiæ præco est uehementissimus iste &



desperatus prope morbus, qui Præsidem, cuius parem nullum æuum effert, ob salutem omnium ita nuper occupauerat, ut iam de eius morte rumor emanasset? Falsa autem; quæ dei in nos clementia est; falsa & mendax, ea fuit fama. Viuit enim & ualet demò. Viuit & regi, ecclesiæ, scholis, ciuitati Vobiscum inseruit optime.

Tam beatissimè ut, & diuissimè; & per hunc etiam, qui nouum sese ingerit, annum, esse Vobis liceat, Fautores: Ego quidem cum toto hoc gymnasio Vestro & cum bonis omnibus habeo in uotis.

Et hanc quidem primam causam esse putetis beneuole, Mecænates, cur scriptionem iam hanc Vobis; ac me una ipsum, dedicem. Volebam enim, ut illa uoti huius mei, quod pro Vobis religiose nuncupo, index & interpres existeret.

Deinde, ne facere hoc nollem, illa me mouebat ratio: Quod pro innumerabilibus Vestris in me & Lyceum nostrum meritis gratiæ Vobis tandem aliquando



do publice a me erant agenda. Quae uero quando, aut decentius; aut iustius, aguntur, quam, quum illa labuntur tempora, quibus tot uirtutes Vestrae totque res uirili prorsus animo & laudabiliter gestae ad habendas, dicendas & referendas illas unumquemque merito excitant, qui fortunarum suarum sedem collocatam habet Berolini?

Date igitur, Patres, ad duplex isthoc officium praestandum chartis hisce mites clementesque aditum. Date illis eum praesertim ob recens illud, quod, dum taceo, eloquor Vobis omnino, prolixi Vestri in nos adfectus documentum.

Qua in me indulgentia ut utamini, tanto magis, futurum esse, spero: Quod ille ipse me uobis obuiam ducit, qui in amplissimo Vestro confessu consul; in consule ordinis decus; in ordinis decore meum Vobiscum magnum praesidium & per haec omnia meus mihi REICHHELMIVS est. Is enim, ut reliquis benignitatis generibus, quibus iterum iterumque me deuincit, uel splendidam quamdam Venerem adderet; uel in uno renouaret omnia; uel



uel hanc demum gratiam pro perpetui fauoris pignore
traderet: Illo quoque me honore adfectum uoluit, ut
sua ipsa uoce non demandaret mihi solum publice rectoris
prouinciam; sed: Quum edenda essent, quæ tunc
temporis perorabam, Suam etiam orationem meis quidem
uerbis adiungeret comitem. Qua in re illud fecit
utrobique consul, quod fecerunt olim ISLEBIUS,
RICHARDVS, MVLLERVS & alii rei publicæ
nostræ consules.

Accipite ergo, Patroni, ea has pagellas humani-
tate, qua soletismittere, quæ a ueris nominum Ve-
strorum cultoribus profiscuntur, omnia.

Vos autem ipsos accipiat &, quoties bona sua opti-
ma distribuit, toties Vos præcipue ad hoc donati-
uum suum admittat summus rerum arbiter. Ille Vos
tueatur atque defendat. Ille Vos, superstites esse iubeat
nepotibus nostris. Ille Vos, quum urbi & patriæ sar-
tos & tectos; tum Leucophæo & mihi conferuet deue-
nerandos. Berolini. Kal. Ian. MDCC LXI.

ORATIO

ORATIO
DE IIS,
IN QVIBVS SITVM EST,
VT BENE CONDANTVR;
BENE CONSERVENTVR,
LVDI LITTERARII.

ORATIO

DE IIS

IN QUIBUS SITUM EST

UT BENE CONSERVAT

BENE CONSERVAT

LABE ET TERRA



licet, *Auditores honoratissimi, dilectissimi, ornatissimi*; licet, inquam, occasione huius diei cogitationes nostras in præstantiam scholarum uertere. Non tamen *Vos* longa circumagam oratione, cuius illa materia sit, quam alii dudum occupauerunt.

Esse scholas officinas bonorum ciuium; esse eas cultiorum in re litteraria ingeniorum palæstras; esse eas domicilia, ex quibus uiri in re publica; tam ecclesiastica, quam politica, præclari prodeant; esse eas tandem illa sodalitia, quæ æui futuri spem exhibeant: Hæc res est in uulgus etiam notissima. Non exiguum ergo in imperiis; non contemnendum facile in ciuitatibus, bonum, scholæ sunt.



Mens autem hominum a natura ita comparata est, ut; simul ac bonum quidquam esse peruideat, media etiam ista quærat, quibus eiusmodi bona, aut adsequi, aut parare, liceat. Quæ sunt igitur media, quorum ope thesaurum illum; bene ordinata Lycea intelligo, habere patria & humana potest societas?

In *principatu* primum illa circumspiciamus, necesse est. Vbi principes primi ac summi litterarum bonarum protectores sunt; ibi florent probitatis, iustitiæ & modestiæ uirtutes; ibi fulget spes felicioꝝ temporum, quæ quæsitamus anxie. Fidentissime dico; sub auspicio eiusmodi principis augustissimæ sapientiæ templa; & hinc quoque aurea tempora, inueniri. Tam beatissimis nobis præsertim esse contingit. Prouinciæ nostræ habent in academiis; habent in scholis, & multa, & optima, Apollinis sacra, quæ accepta grati referre debemus *Principum* liberalitati & prouidentia.

Adspicite, quæso, *Auditoꝝ*, hoc ipsum sapientiæ & bonæ mentis habitaculum; *Leucophæum* proprie sic dictum, a Leucophæatis cucullis, quibus uestiti incedebant monastici præfati huius domus incolæ. Debetur uero illud pietati & munificentia *Diui Principis ac Electoris, Johannis Georgii.*

Possent percurrere multa alia principum nomina, qui magnas curas magnosque sumtus in recte adornandas scholas impendebant. Fas est, præ omnibus uenerari *Regem nostrum sapientissimum; Fridericum secundum;* omni prædicatione maiorem; summum tutorem bonarum artium, cui compertum est, boni ducis



ducis atque imperatoris esse, non minus arte superare, quam gladio.

Nihil igitur dignius; nihil dulcius; nihil iucundius, hac cura est, quæ sub tanti principis regimine ab eius ministris; a *Magistratus* potissimum personis, in scholis bene ordinatis bene etiam conseruandis iure meritoque collocatur. Hi enim sunt, quibus post principem & secundo loco illud iniungit patriæ caritas, ut patriæ soboles pro uoto satis adolescat. Nam, quod nec beneficiis; nec pœnis; nec legibus, effici potest, id tum efficitur in ciuili communitate, quum iuuentus rite formatur & instruitur sapienter.

Inde eorum partes, quorum auctoritate diriguntur scholæ, requirunt omnino & postulant, ut omni cogitatione; omni consilio; omni denique contentione, illud agant, ut litterarum suis ludis eos professores præficient, qui pii, docti atque prudentes uiri sint. His ipsis præterea Pieridum sacerdotibus in tam arduis utique laboribus adfistere; subleuare eos; in quantum fieri potest, facultatibus & liberalitate; leges scholasticas dare; crebras uisitationes exercere; examinationibus diligenter adesse: Hæc & alia *Patronorum* officia sunt & medium, scholas bene condendi; bene conditas seruandi.

Ad *Docentes* me conuerto. Nam, illi tertium inter eos locum tueri debent, a quibus melior scholarum constitutio, quum expectanda, tum exigenda, est. Fideliter itaque, o *scholarum magistri*, rem uestram agite. Erudite uita & do-

Strina




Arina iuuentutem, ipsimet religiose & honeste uiuentes. Arcete iuueniliter exultantes &; ut breuissime dicam, effingite bonos ciues.

Molestum, fateor, ac graue quidem hoc negotium: Sisyphus plane ille labor est; sed est munus publicum & utile; est Musarum commercium, cum magna dulcedine coniunctum.

O ter igitur felices; o ter quaterque beati, qui profitentur liberales artes. Sunt profecto illi in meliori loco repositi, quam multi alii, qui uiuunt in luce rei publicæ.

Qui otium litterarium exercent, mirifice præcellunt. Eos etiam hilariori sua sorte & conditione superant, qui tempus consumunt in strepitu curiæ. Commode hic mihi *Plinii* quædam uerba redeunt in memoriam: „Nihil, inquit, aut simplicius; „aut sincerius, quam genus hominum scholasticorum. Nos „enim, qui in foro uerisque litibus terimur, multum malitiæ; „quamuis nolentes, discimus.“

Ecce *Vobis*, tam fortunati disciplinarum præceptores sunt; illi in primis, qui cum Cicerone de bonis artibus sic sentiunt, ut illarum meretur, uel suauitas, uel usus, uel excellentia. „Litterarum, ait, studia adolescentiam alunt; senectutem oblectant; secundas res ornant; aduersis per fugium & solatium præbent; delectant domi; non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur; „ id est, semper & ubiuis uitæ nostræ iucunditatem conducunt. O quam dulcis hoc




hoc pacto redditur labor scholasticus? Sed, hæc de iis dixisse fatis sit, qui docent ipsis in scholarum subselliis.

•Pendet tandem iuuentutis conformatio & scholastica quædam industria a *Parentibus* etiam & *bonis quibuslibet ciuibus*. Nam, non præter rationem; sed merito, in præceptorum numerum omnes parentes & patresfamilias referendi sunt; quippe quibus educatio liberorum suorum præcipue incumbit. *Parentum* est, progeniem suam idoneis moribus ornare; repetitis admonitionibus a uitiis ad uirtutem trahere; mittere illam ad pietatis & sapientiæ adyta; hinc quoque eiusmodi loca adamare &, qui illis præfunt, remunerari, fouere atque colere.

Sed, quid dicam de eius generis parentibus & *aliis illis, qui uiuunt sine prole*? Hi curam, laborem & sumtus dedicare debent liberis cognatorum & conciuum. Si agant personas publicas: Non deerunt occasiones, hæc conamina, hoc studium, in educanda iuuentute adhibendi. Si sint priuati: Pariter numquam caussa & tempus deficit ad bene compositas scholas suas conferendi symbolas.

Percurrite mecum, *Auditores*, grato animo & pia cogitatione tot beneficia, quibus *hoc ipsum Gynnasium* cum reliquis euergetis huius etiam ordinis eximii & nobilissimi homines uoluerunt adficere. Læta gratulatione & immortalis memoria prolixam hanc uoluntatem prosequi, iustum & æquum est. Faveant porro propitiique sint suis muneribus tam candidi, tam benigni Mecænates.






Quod dum optamus impense: Illud simul in uotis habemus maxime, ut honestissimo quodam certamine amorem & operam pro bene tam ordinandis, quam iam ordinatis, scholis suscipiant *omnes status rei publicæ*; status nempe *docens*; status *regens*; status *æconomicus*. In hac enim industria; in hac agilitate, continentur media, quæ ad salutarem illum scopum ducunt, quem præfixum sibi & positum habent scholæ. Qua de re paucis nobis erat in præsentia exponendum.

Sedulo hac in causa occupati fuerunt maiores nostri; sapientissimi cordatissimique mortales. Iidem semper quoque curam egerunt huius *Leucophæi* nostri. Ad quorum exemplum quam nos etiam; ut omnes scholas; sic hoc in primis Gymnasium, diligere ac complecti uelimus, actus hic testetur hodiernus.

Abiit nempe a nobis & decessit Rector, *Joachimus Christophorus Bodenburgius*; Vir longiore uita dignus. Iussu *Patronorum* in eius locum ascendit *V. C. Johannes Jacobus Wippeilius*. Fuit ille antea Conrector in Gymnasio ciuitatis *Fridericianæ*; paullo post in *Petrino*, Coloniensi, longe meritissimus. Deinceps per quindecim & quod excurrit, annos Prorektoris prouinciam in *Berolinensibus* his spatiis administravit haut sine gloria

Hunc igitur Athenæi huius Moderatorem & Rectorem in hac sapientiæ arce inauguro, adpello & publice pronuntio.


Qui



Qui cælitum sodalicio dudum adsociatus est, *Johannes Islebius*; Consul Berolinensis, *Wilhelmum Hildenium* in hoc eruditionis & uirtutis stadio Rectorem inaugurauit. Quod quum faceret: Duo libros ipsi exhiberi iubebat, quorum alter codex sacer erat; alter ad liberales artes pertinebat; in signum earum doctrinarum, quas præcipue profiteri & diuulgare docentibus constitutum esse debet.

Quam symbolicam inuestituram ego imitaturus, numisma *Tibi, Vir doctissime*, offeram, quod in multorum manibus est; spem ostentans, in uirginis adhuc iuuenescens simulacro; ancora; ut solet, suffultam; una cum hac inscriptione: *Spes meliorum temporum*. Adiecta porro est quæstio: *Quando illa uenit?* Tres postea sub formis trium dearum imagines conspiciuntur; pietatis scilicet; iustitiæ; siue sapientiæ, & modestiæ. Addita sunt tria hæc uerba: *Caste, iuste & pie*; & non hæc tantum; sed etiam sequentia: *Poscit illa bonos homines*. Nouissime iterum interrogatur: *Vbinam illi sunt?* Ad ultimam hanc quæstionem ut *Tu, amice æstumatissime*, re ipsa; ipso actu respondeas, iterum iterumque *Te* hortor. Bonos *Tu* homines effingas & formes, *Moderator* huius *Gymnæsii doctissime*.

Hos formate & *reliqui collaboratores* eximii. Non detinebo Vos longiori sermone, *amici*. Scio, quam sit odiosa *Circensibus* pompa. Notitia legum scholasticarum uestri officii in Rectorem; in Collegas; in discipulos, ignorare uos non patitur, quid factu ubique sit optimum.



Vos autem, iuuenes bonæ spei, colite Rectorem uestrum ceterosque Professores sapientiæ; formatores uirtutum, uobis dilectissimos. Offerte ipsis thura & myrrhas; amorem uidelicet doctrinæ pietatisque; diligentiam, adtentionem, obedientiam.

Sed ad rem. Adscende, Moderator præstantissime. Tanges fascies; introducendo simul uiros, bene de re publica scholastica meritos, qui Te sequuntur Tuaque uestigia premunt cum Adplausu Procerum.



O R A T I O
DE
ADPLAVSV SCHOLAM
ANIMANTE.



O R A T I O
DE
ADPLAVSV SCHOLAM
ANIMANTE



Queri saepe numero solent, a quibus, ut publice dicant, rerum ratio exigit, nihil sibi uideri difficilius; nihil molestius; nihil periculosius interdum, quam eligere tandem & statuere recte illud argumentum, de quo, quæ expectantur, omnium optime uerba faciant. Duo præsertim sunt, quæ tam misere hac in re oratores constringunt & obsessos quasi tenent, ut, quo modo feliciter sese ex laqueis atque angustiis expediant, inuenire haut facile possint. Alterum nouitatis studium est, quo nihil proferre in medium laborant, nisi, quod præter consuetudinem, inopinatum & numquam antea auditum sit. Alterum in iusta & idonea aptitudinis cura continetur, quæ illa unice proponere iubet, quæ loco, tempori, personis & omni rerum conditioni uideantur conuenientissima.

Prouidum certe & sapiens utrimque consilium. Nam ea qui dicit, quæ nemini non dicta iam sunt, is anilem fabulam narrare; tempus flagitiose fallere; auditorum patientia turpiter abuti &, cuius iam omnium animos tædebat, illius amara prorsus fatietate & enecante quodam fastidio defatigare



defatigare uelle censendus est. Qui autem sic habet orationem, ut, quidquid recitat, neque rei, de qua; neque hominibus, ad quos; neque sibi ipsi, a quo, dicitur, consentaneum sit: Illum fere, qui audiunt, fugere statim & solum in theatro suo relinquere debebant; quippe qui satis inuerecunde satisque insulse, non hoc in terrarum orbe; sed in alio plane; imo inter Anticyræ monstra; in delirantium patria, ipse delirans oratoris personam sustinere uideatur. Putidum, profecto, & absonum; quum hoc; tum illud, fermocinandi genus est. A quo & ab una & ab altera parte quo pacto reliqui prudenter sibi caueant, peruiderint ipsi.

Ego uero utramque ignominiam illa demum lege cuitari maxime arbitror: Si, quem differere oportet, non e longinquo materiam petat, quam substernere sermoni suo eruditius uelit; sed de eo solum disputet, quod disputandi imposuit necessitatem. Sic quidem & noua erunt, quæ commentetur; nec incongrua & aliena, quæ peroret.

Licet enim uera sint, quæ diuinissimus *Salomo* diuinissime pronuntiauit; *nihil*, scilicet, *noui fieri sub sole*: Tamen omnia, quæ iis, quæ olim acciderunt, similia quodam modo nunc eueniunt, ita etiam contingant, necesse est, ut multa habeant adiuncta sibi & comitantia, quibus a ceteris omnibus mirifice discrepent. Quæ itaque quibuslibet euentis propria si quis colligit & orationis splendore illustrat: Tantum abest, ut illa, quæ ad rem pertinent, non eloquatur, ut ipsam potius, seu rerum; seu factorum, naturam priuatamque singulorum, quæ illis insunt, formam uestiget curiose & scite excutiat. Quod dum operam dat: Tot noua simul torque inuistata immiscere commentationibus suis potest, ut insigniter mendacii reum faciat uulgare illud; falsissimum utique, dicitur, quod *Terentianum* esse perhibent; *nihil*, uidelicet, *iam dici, quod non dictum sit prius*.

Hac igitur uia, quam indigitare forte & commendare aliis putabor, ipse hodie incedam. Cognitum enim & præfens, *auditores*, mentibus uestris



neſtris obuerſatur, quid iam iam peractum ſit; me, nempe, hominem, qui ad alia omnia forſan aptior ſim, gymnaſii huius, uel moderatorem, uel primipilum, uel antefignanum, uel antiſtitem; id eſt; quod felix fauſtumque & deo meo glorioſum ſit, rectorem, publice renuntiarum eſſe & ratis conſtitutum auſpiciis.

Quo bono die quum bona mihi uerba dicenda ſint: Vos, quaſo, primum ore fauete atque animis; deinde concedite beneuoli, ut omiſſa ambitioſa & inani pompa circenſes ſtatim ipſos aperiam. Nec enim politulae eloquentiae; nec reconditae ſcientiae laudem in hac ſolemnitate uenabor; ſed in eo tantum occupatus ero, ut, quidquid dixerō, ad unam modo illam rem ſpectet, quae tacere hodie non permittit.

Dirigere itaque ante omnes orationem meam licebit ad *magiſtratum*; *patronos ſpectatiſſimos*. Poſtea ad *ephorum* grauitatem modeſtia mea aditum quaerat. Tandem cum *collegis*, qui fratrum mihi loco ſunt, fraternae amicitiae ſoedus, aut integro, aut renouabo. Nouiſſime; ut decet praecceptorem, colloquar cum *diſcipulis meis*. Hae illae oleae ſunt, extra quas ut; ſi qua eſt, oratoria mea ars euagetur, ipſe non feram, non patiar, non ſinam.

Agedum, ſaluete, *regiae ciuitatis patres*. Saluete rei noſtrae, ſiue civilis, ſiue ſacrae; ſiue eccleſiaſticae, ſiue ſcholasticae, ſtatores, uindices, arbitri. Saluete, Mecanates mei, multo propenſiſſimi.


Viceſimus; quae dei eſt gratia, annus labitur, ex quo ego hic *Berolini* ſub uexillo ueſtro militans tribus iam in Lyceis operam, curam, induſtriam atque contentionem meam manſuetioribus conſecrare Muſis non intermitto; ſecundus ſemper ordine athleta. Is enim fui in *Fridericopolitana* palaestra. Is lacertos & arma moui in *Petrino* gymnaſio. Is in hoc *Leucophaeo* ultra quindecim annos nunc pugno.



Durissimum, profecto, & ad interuersionem semper uergens, uel lucta, uel certaminis, genus per tantam temporum seriem suscepi, pertuli & etiam num minime recuso. Hominis enim ad scholam dati tam iniqua, tam discriminata tamque miseriarum fertilis fors est, ut ego quidem non, nisi perabstrusissimum quoddam diuinæ prouidentiae mysterium, accidere existimem, ut supersint perpetuo aeris & maximi animi illi uiri, qui hoc Aetna grauius onus, & admittere libenter, & sustinere strenue, uelint.

Namque ipsi, *Mecænales*, animo & cogitatione concipite, quæ ea demum sint, quæ huius ordinis ciuem uestrum absoluant. Omnia scilicet scire; sed nihil comedere: Omnia docere; sed nihil bibere: Ad comparanda, seu scripta, seu alia eruditionis instrumenta, multis indigere; ingens uero ubiuis circum se habere nihilum: In auditorio stans ad id quotidie innumerabilibus ferme horis sudare, in musco, & hieme, & æstate, frigescere: Interdiu ad libros; noctu stramentis incumbere: Patriæ iuuentutem moribus ornatam; religione tractabilem; scientia gratam acceptamque omnibus reddere; se ipsum, ob crassum, pannosum ac insolitum uestitum, aut ridendum propinare malis, aut miserandum obicere bonis: Aliorum sobolem ad uitam lautissimam prouehere; sua autem ne post subitum sui ipsius funus miserime pereat, metuere: Publicam omnium mereri concelebrationem; sed publice subsannari & uilipendi ab iis, qui re uera ipsi sunt uilissimi: Vno uerbo, quod *Mutius* apud *Liuium* Romanum esse gloriatur; *fortiter*, nempe, *facere*; *fortiter simul pati*; & hæc omnia inter obstinatos, inuidos, immorigeros, calumniantes, ingratos & superbos; illius instar, qui auctoratus eat, per totum uiuendi tempus audere: Hic, pro dolor, adeo magistri, quem umbraticum stulta ardelionum natio adpellat, proprius transigendæ ætatis modus est, ut inter uos nemo sit, qui ire illud uelit infitias.

Mirum-



Mirumne ergo est: Si sint, qui ludum litterarium molam, pistrinum, ergastulum esse opinentur eamque ob causam fuga salutem toties quærant, quoties, ne conuocentur ad hanc laborum, squaloris, moestitiæ & esuritionum communitatem, periculum est?

Id quod ipsum efficit, ut ter & amplius intolerabiliorem suam esse conditionem egregii illi uiri sibi persuadeant, quos semel uoluere hoc saxum fati inclementia uoluit. Intelligunt enim; & lugentes intelligunt, eos trahere, & noctes, & dies, hilariter; eos sedere commode; eos ualere pancratiæ; eorum domum instructam esse opipare & adparate, qui per incitiam & rufficitatem sacco atque incitis dignissimi erant; quibus propter ea Veneris iactum fortuna destinasse uidetur, ut, quos damnosum canem iacere perspiciant, tanto effusius eachinnantes explodant; tanto intemperantius eriminentur; tanto maculam semper & stigma inurant impotentius.

Credite, rogo, *Patroni*; credite, sæpe mihi exquisitissimis artibus & subtili ingenio opus fuisse ad folamina adflētis eorum sodalium pectoribus suggerenda, qui: Quum conscii sibi essent, neque se ad eius modi stationem ineptos fore, quæ præter magnum stipendium; præter decus & gloriam, opima quoque spolia pollicetur; nihilo tamen secius ita se ad egestatem & perniciem damnatos esse dolebant, ut, uel unde panem in defertis suis locis fumerent, scirent eum ignarissimis. Parum aberat, quin eum *Iobo* exclamarent dulces animæ: *Semitam meam circumsepsit & transire non possum & in calle meo tenebras posuit.* Iudicetis ipsi, *Fautores*, quid contra eum calamitatis sensum, qui eius generis lamenta extorquet, uel leues, uel uulgares, consolationes ualeant. Tantus animi dolor reformidat quasi medentium manus & cuncta fomenta reiicit, quæ non clementer ac sapientissime admota sint.

Vna omnium medicina est, quæ hic uires suas in nobilioris indolis hominibus exerit; qua *auxilium non datur præsentius ullum.* Quanam illa






illa tandem est? Nihil sane, nisi adplausus & comprobatio; eorum præcipue, qui ad stadii, quod demetitur, curricula uocarunt nos rite & anhelos in illis iusti æquique obseruant.

His enim quum caros; quum probatos, nos esse non tam speramus, quam experiundo exploratum habemus: Hi quum conamina nostra, nostra cogitata, nostra acta, non flocci faciunt: Hi quum nos diligunt, fouent, tuentur &, qui nomen aliquod decusque gerant, non indignos aestimant: Hi quum non superuacanea in mundo esse, quæ factitamus, autumant: Hi quum nos non, ueluti umbras, in re publica uolitare putant; sed in illorum collocant numero, quibus patriæ salus accepta quodam modo referri debet: Tum facile aliorum omnium proterua & uenenata iudicia parum curamus: Tum nullos morionum insultus; nullum molestiarum fascem; nullas laborum sarcinas; nullas horremus impedimentorum compedes: Tum nos fortunati illi agricolæ fumus, qui; quod *bona sua norunt*, mala quæuis, quæ, aut onerant, aut impendent, non animaduertunt.

Nam si placere prædicarique tantum est, ut; quem ad modum ait *Tullius, trahamur omnes laudis studio & optimus quisque gloria ducatur maxime*: Quantam, quæso, uim quantumque pondus apud illos habeat, necesse est, hoc uirtutis præmium, qui reliquis ueram famæ cupiditatem debent imprimere; qui magna & illustria recte factorum exempla in ueterum scriptis ita quotidie ob oculos sibi posita habent, ut ea ipsa ex laudis facibus, quibus alii ad præclara & excellentia stimulatî sunt, igniculos saltem quosdam gloriæ in legentium & explicantium præcordiis utique accendant?

Summa autem & perfecta gloria; ex summi & perfecti oratoris dictamine, ex tribus his constat; si *diligunt* nos multi; si *fidem habent*; si *cum admiratione quadam honore dignos censent*.

Tri-



Triplici hac ratione ab uno uestro collegio, *Mecænates*, beari splendidissime & resciri eximie poreft uir scholasticus. Nam ad alia omnia, quibus propter ea fulgetis; tergemina, profecto, decora, quod in *maximi inter reges* regia fede magistratum geritis, illud quoque, ueluti nitoris cumulus, accedit, quod numerosus pariter fit pulcerrimus uester confessus. Qua propter a multis diligitur, quem uos diligitis. A multis creditur illi, cuius fiducia uos quidquam facitis. A multis honestatur, qui a uobis non reprobatus fuerit.

Diligitis autem scholas uestras, *Patres conscripti*. Diligitis etiam hanc nostram, quæ antiquissima & primo genita quasi filia uestra est. Diligitis nos. Nam cui facile est, tot uestri amoris; tot uoluntatis in nos, documenta enumerare? *Fidem nobis habetis*. Nam committitis discipline nostræ, non ciuium modo uestrorum; sed ipsam, quam uobis deus & natura dedit, sobolem. Ipse tu ab hac parte nos non deseris, *præses optime*; uir in tantum celebrande, in quantum agilitas, iudicium, grauitas, fides &, quidquid uirtutis nomine decorandum est, concipi umquam potest animo. *Honore porro non indignos nos ducitis*. Id quod lux hodierna luce sua carere non patitur. Nam, non mihi solum; sed *duobus* etiam *collegis*; *candidis certe & familiarissimis mihi uiris*, nouum adferre mi res bonique uolulistis dignitatis augmentum. Me, uidelicet, rectorem gymnasi legere, dicere, confirmare, non dedignati estis. Quod adplausus uestri genus quum eius modi sit, ut in rem ipsam; in ipsum actum, iam transferit: Primum tibi gratias ago conceptissimis dictionum formulis, *Reichhelmi perillustri*; *orator præstantissime*; *incomparabilis exempli consul*, quem huius consulti sui interpretem coram celebri hac auditorum frequentia esse uoluit senatus inter omnes, qui *Friderici maximi* iussu urbium præsidia agunt, longe magnificentissimus.






Vobis deinde omnibus, Patroni; ne ingratus uidear, nouam fidem, nouam diligentiam, nouam adfuiditatem, nouam obseruantiam, nouum denique me ipsum fauori uestro uestraque tutelæ, quum offero, tum iuramenti quadam religione consecro.

In maximo hoc beneficio uestro, quocum, quantum negotii non fugiam, nullus ignoro, si recreare me quidquam; si erigere; si refocillare blande potest: Nihil illud esse arbitremini, nisi eam uestri in me adfectus concordiam, quæ ipsa me ad agendas has uigilias excitauit; quæ præuenit uel meum, uel aliorum, desiderium; quæ eo; ut breuiter dicam, pacto circulis nostris coriphæum me præficere non dubitauit, ut esse ille queam sine ullius ambitus, uel crimine, uel specie, uel conscientia. Sic enim decebat patronos, qui sunt, quod nomen eos monet; ueri scilicet & liberales ad modum patres; qui, quæ tribuunt, petendo, flagitando & exorando, non eripi sibi atque extorqueri; & eo ipso corrumpi minuique, dona sua uolunt; sed, quæ largiuntur, sponte & ita concedunt, ut ipsa dandi ratio illa, quæ dantur, augeat, ornet ac dupliciter reddat delectatione & uoluptate plenissima.

Pergite, *Mecaenates*, ita mihi esse propitii. Ego quidem illud operam dabo impense, ut semper mihi sim simillimus.

Fuerunt non nulli; iique cordatissimi, uiri, qui toties *martyrem* fieri dixerunt hominem, quoties uitam atque uires suas scholæ commodet *septennium*. Qui si non mentiuntur: Ecce me uobis, *fautores*, post non longi temporis decursum, tripliciter iam; si deus dabit, *martyrem*. Verum enim uero, neque piget, quæ olim perpeffus sum; neque pudebit, quæ posthac ferenda forte erunt, grauiora omnia: Si de amore, de adfensu, de auxilio uestro, non ambigere; sed in omni potius re magnos uos habere liceat mihi adstipulatores. Sic sane, *Patres*, ad *martyrii* huius palmas; id quod *Tertullianus* exigit, numquam non gloriabor.

Quod



Quod ut eo confidentius audeam: In tua quoque potestate quid non fitum est, *uir summe reuerende; Kappeni indulgentissime? Berolini*, seu operari, seu præesse, scholis plurimis ex causis magna semper felicitas est. Hac uero nostra ætate summo opere cum prouidentissimum numen amat, cui hic in quadam uirtutis artiumque officina locum adsignat atque consociationem. Habent enim Athenæa nostra illos iam *ephoros*, qui triumuiratum agunt mollioribus Musis lætum, salutarem, frugiferum. Iustum suum prorsus pretium litteris nostris statuit *Süsmilchius*: Quia in *ipta Anglia*; in ipsa *Batauia*, didicit, esse eas aliquid. *Baumgartenius* deperit studia, quæ ad humanitatem pertinent: Quoniam ipse illa, & in academia, & ex hoc suggestu, præclare professus est.

Tu uero, mi *Kappeni*, duas præsertim ob causas mitiores nostras scientias pressa quasi manu; ne corruant, tenes; ne oppugnentur; amplexu colligis. Primum, quod *Speneri* successor & defensor; deinde, quod *Franckii* discipulus es. Hi, uidelicet, duumuiros non ex istis inficetis raris nepotibus erant; non ex obtusorum illorum familia, qui, quod ignorant, odio habent; qui constare non posse perperam sibi persuadent has ingeniorum delicias cum seuerioris doctrinæ maiestate. Ab his igitur quasi hereditario iure ad te peruenit illius disciplinæ existimatio, sine qua omnis alia eruditio mutila, manca & barbara est. Retine nobis & conserua, quam ipse deus tibi indidit, hanc mentem. Animare in posterum quoque scholam nostram adplaudens non detrecta.

Est autem animæ natura simplex, pura, libera. Gaudet illa sentiendi, intelligendi, adpetendi, auersandi, facultate. Viuit per eam homo; & ita uiuit, ut immortalis sit. Quam ob rem tam consilio, quam monitis; tam legibus, quam laude; tam commendatione, quam tuis pro nobis precibus, illud effice, *dulce nostrum decus*, ut intra hos parietes integra religionis ueritas; non fucata cognitionis uenustas & mores tam a seruili simu-



simulatione, quam ab omni uitiorum labe, immunes dominantur. Cura, rogo, ut, qui hic commorantur, ad unum omnes sentiant; ut intelligant; ut adpetant, quod honestum in factis; quod non uulgare in scientia; quod frugi hominibus dignum est. Summa semper ope nitere, ut uideat quisque & probet meliora; ut deteriora uitet & amoliat. Illud curæ cordique habe, ut somnus & mors procul ab omnibus absit; ut æternam suam mentem nemo non illis pareat & idoneam reddat, quæ numquam sunt interitura.

Væ istis, qui ita scholas, quæ fidei suæ traditæ sunt, inspeçant, ut, ne faciant hæc omnia, uel *frigidus*, uel *malus*, *circum præcordia sanguis* obsistat. Bene autem & immortales tibi, *mi fautor*, gratiæ; bene etiam nobis; popello tuo: Quod hæc sollicitudine; hoc candore; hoc sancto animi impetu, nihil tibi umquam prius erit; nihil antiquius; nihil religiosius.

Nunc uos amplexor, *collegæ æstumatissimi*. Amplexor autem, non ut aduena; sed inquilini instar; non tamquam adscitus aliunde; sed, quem ad modum cum oportet, qui in ipso sinu uestro ad hoc fodalitatis sacramentum surrexit. Experimentis itaque patere uobis potest, non esse me ad sinceri consortii qualibet officia ineptum. Quod si dubium uobis atque incertum uideri posset: Equidem testes adpellarem omnes illos, quibuscum olim laborum mihi intercessit communitio; non eos solum, qui etiam nunc superstites sunt; sed illos quoque, qui; quod pie oppetierunt, uero dei conspectu uere iam perfruuntur adeoque procul constituti sunt ultra omnem mentendi imbecillitatem. At minime hoc opus est. Ipsi enim; si ingenii; si non astuti, uiri estis, ea, quæ de me uidistis, non dissimulabitis. Quare, si tam infelicibus nobis esse accideret, ut lites, rixæ & iurgia, siue perturbarent; siue interrumperent, nostram consensionem: Non in me; sed in uos unice, omnis hæc culpa; culpæ certe suspicio, recideret.

Quod



Quod ut deus, qui pacem amat, exesse hinc iubeat: Adplaudite uos quod ludo litterario, in quo ipsi plausum & adprobationem quaeritis.

Sunt non raro inter collegas alii tam sibi Suffeni; alii tam queruli; tam morosi; tam importuni, homines, qui omnia, quæ ceteri agitant, uolunt, conantur, reprehendere, uituperare, flocci pendere, adsolent. Sunt, qui neque parem ferre; neque superiorem, quemquam gestiunt. Sunt, qui rebus omnibus se immiscent. Sunt, qui ubique blaterant; ubique uociferantur. Sunt; ut paucis me expediam, & quid sint, & quid esse debent, parum perpendentes, id modo satagunt, ut reliquorum tranquillitatem & famam confundant, commaculent. Peruersissimi plane & præposterii mortales. Ipsi enim agere recte & prudenter omnia uideri cupiunt; dum alios peccati & imprudentiæ adefant. Ut se comimentent: Coniucis præscindunt ea, quæ sua sunt. Trahunt ipsi in schola uitam, quæ per se continuis quasi calamitatibus intertexta est: Laborant tamen, ut illis, quibus eadem eadem perpeti coguntur, duplo reddant uitam molestiorem.

Amabo uos, *fratres*, nemo e uobis tam atrox societatis nostræ flagellum; tam pestilens humani generis prodigium sit. Ego sane, qualem me exhibui, donec pari uobiscum passu ambulabam, talem etiam posthac uobis exhibebo; quum erit mihi præeundum.

Et ut iam nunc; uel una uoce, præire uobis incipiam, quid optimum factu sit: Illud rogatos uos maxime uelim, ut ea mecum semper doceatis, quæ in usu olim discipuli nostri habituri sint. Docete igitur illa, quæ uera, quæ salutaria, quæ graua, quæ solida, sunt. Docete adsidui, ludentes, præparati; sed ita perpetuo, ut non magis, quid; quam, quo modo, doceatis, deliberandum uobis esse opinemini. Docete præcepis; si-

D

mul






mul tamen exemplo. Docete artes; at non brutescere finite mores. Docete sapientiam; præ primis uero eius initium, timorem DOMINI; eius effectum; uirtutem; eius quæ corona est, religionem. Docete non tantum disserendo, clamitando; sed; quod cum magnis omnibus uiris magnus *Bülfingerus* summo opere hortatur; adeoque ego etiam iterum iterumque moneo, factitando potissimum & exereendo. Quem ad modum enim; ut apud *Sallustium Cato* ait, in ciuitatis administratione, neque uotis solis; neque supplicis muliebribus, auxilia deorum parantur; sed uigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: Ita quoque in artium & disciplinarum studio, non unis uerbis; non regulis coæruatis; non dictatis frequentissimis, feliciter satis proficitur; uerum motu, labore, consuetudine & exercitatione. Hoc, feliciter, præcipuum scholarum munus est.

Scholam enim qui nominat, is eorum sane societatem intelligit, qui docent partim; partim discere nituntur. Docere autem & discere eo demum continetur, ut rerum non cognitio modo; sed usus etiam, compareret egregie & augeatur insigniter. Incredibile enim dictu est, quantum omnes isti ab hac parte alios decipiant; ab illa decipiantur ipsi, qui id scholis unice propositum esse stupidi sibi persuadent, ut, iis omissis, quæ in actione uersantur, illa tantum, quæ sciri possunt, uel crepitare; uel inculcare, studeant. Namque hæc qui sentiunt, ipsi quasi contententur, neque perspicere se, quam late pateat scholæ uocabulum; neque scientiæ naturam reuocare in memoriam; neque institutionum finem ponere sibi ob oculos. Scholæ enim & illic habentur, ubi uel parum; uel nihil omnino, quum industriæ; tum temporis, cognitioni impenditur; sed, aut omnia; aut pleraque, tribuuntur actibus. Scientiæ autem ea uis ac ratio est, ut in habitu consistat, qui illa animi; aut corporis, constans & absoluta aliqua
in

in re perfectio est, quæ non, nisi exercendo & agitando, uel adquiritur; uel se reddit manifestam. Finis tandem institutionum omnium quis est: Si rerum ipse usus ille esse non debeat? Quæ non *scholæ*; sed *uitæ*, *discendum* esse dicitur, sapientissima illa uox, maxime omnino illud poseit, ne ita discatur, ut didicerimus modo: sed ea demum lege, ut quidquid, culturæ aurem adhibentes, mente percipimus, ad actum statim & publicam perpetuo transferre laboremus utilitatem.


Sufficiat autem summarim ea & leuiter tetigisse momenta, quæ fufius quælibet & adcuratius tractant *Gesneriani* illi; aurei, profecto, libelli, quos utinam; ut sapere auderemus, quisquis nostrum diurna uersaret manu; uersaret nocturna. Liceat, inquam, hæc prætergredi: Ut aduolemus ad alia; ut properemus ad extrema.

Nam te nunc requirit; nam te circumspicit obtutus meus, *studiosa iuuentus*. Vbinam es, *lectissima commilitonum caterua*? De adplausu ego declamito, qui quo fere pacto cum sana ratione in scientiarum cultore congruat, demonstrauit *philosophus Francofurtianus*, qui tam non unus e multis est, quam *frater eius inter* ætatis nostræ theologos nuper; pro dolor, erat consummatissimus. De adplausu uobiscum ago; id est de re, quæ olim in ludicris fuit; quæ inter Græcos quomdam atque Romanos florebat; eamque ob causam ab idolorum ueneratoribus repetenda esse uideatur. Sed, fore, confido, ut mihi, & præceptori, cuius omnis oratio a iocularibus longe abhorrere debet; & christiano homini, quem arcere decet ac odisse, quidquid a sacris nostris alienum est, ab utraque facile partem gratiam huius consilii faciatis.



Namque nec inter ipsos sapientes optimosque' omnium viros defuerunt, qui uniuersam, quam degunt homines in terra, uitam iis fabulis similem esse dicerent, quæ in scena solent peragi. Quid quod? Totum mundum, quem immensum Dei robur produxit; quem infinita eius benignitas conseruat; quem alma prouidentia regit & gubernat, theatri nomine insignire non nulli ausi sunt. Quæ comparandi ratio si tantum abest, ut absona & intulsa uideatur, ut ingenii potius & acuminis quidquam regnare in illa plurimi putent: Nullo plane iure ad prætorem ac tribunal rapi iste poterit, qui scholæ etiam similitudinem quamdam cum spectaculis & ludis scenicis intercedere contenderit. Nam ipsa uocabula, quibus denotantur literaria hæc sodalitia, eius commatis interdum sunt, quæ hanc, uel conferendi; uel contendendi, solertiam defendant, stabiliant, commendent. Scholam enim quis est, qui, aut ludum; aut gymnasium; aut aliis quibusdam uoculis, compeller, cui non cum uerbis ipsis palæstra, mœna, amphitheatra, pulpita & cetera, quæ ad ludos spectant, una cum harum collationum uenia ac dignitate facile in memoriam redeant?

Quæ si uera sunt; ut sunt sane uerissima: Qui mihi uitio uertat, quod unum modo uerbulum ex ueteri ludendi licentia in mentem hodie uenerit, equidem credo, fore neminem. Adplaudendi, scilicet, consuetudo est, cuius recordabar: Quam celebrandus publice dies esset, qui Pieridum nostro templo propter ea ter festus atque solennis est: Quod tres ipsi magistratos concedit; non nouos quidem eos & recens nuncupatos; ad noua tamen & altiora honoris sui; si loqui hic ita par est, fastigia euectos. Non uulgari utique letitia adfecit me hæc *magistratus amplissimi*, qua tam felici esse scholæ contingit, mirifica profusus, uel cura; uel industria; uel prudentia; uel beneuolentia. Dulcior hic gaudii sensus, ne parum; aut otiose, pertentare; quum nouus esset, animum meum uideretur: Impetrare a me
mini-



minime potui, quin dicta hodie mea continuarent illa, quæ tum cogitabam pie & sentiebam iucundissime. Quare id sibi indixit ingenuitas mea, ut, qualiscumque hæc, uel meditatio; uel noui muneris profusio; ut de *procerum*; sic omni alio etiam illo adplausu, qui scholam bene animat, quam fieri posset, breuissime edisleret.

In qua sedulitate quum ad uos, *fili*, gradibus nunc uentum sit: Aperte tandem & sine ambagibus exponendum uidetur, quid, ubi adplausum dicimus, imaginari præferim & complecti animo, non nefas sit. Est uero ille; si quid non male ego iudico, prompta omnis, suauius atque hilaris significatio, quæ, carum nobis quidquam & probatum esse, declarat; quæ placere omnino, aut dicta; aut facta; aut, quidquid tandem est, non diffiteatur. Hoc enim fuit, quod indicare toties uoluerunt antiqui histrionibus, poetis, actoribus ceterisque, qui opera sua suoque labore gratiam aucupari studebant, quoties, seu manu; seu lingua; seu pede; seu alia denique ratione, lætorem illum strepitum atque rumorem excitabant, quem adplausum uocitare, moris erat.

Qua felicitate ut hæc recula nostra pro uoto fruatur, a te perbellè pender, *uegeta condiscipulorum cohors*. In te præcipue positum est, ut theatrum hoc nostrum placeat, laudetur, excellat. Si te uiderit, primum hæc ciuitas; statim academia; deinceps tota patria; totus orbis, doctrina, moribus & pietate cultam, politam, commendabilem: Tum, & tibi; & nobis; & institutis nostris omnes illi adplaudent, qui non inhonoratam dimittere solent uirtutem. Macte uobis, *elegantissimi adolescentes*: Quod hæc fortuna; hæc ouatio; hæc lætitia, egregie iam nostra esse cœperit. Scilicet non hæsitant iam homines; non dubitant ipsi in literarum uniuersitatibus professores, illud Lycæo nostro testimonium iterum iterumque dicere,






prodire a nobis eius ordinis iuvenes, quos melior scientia; ordinator uita, a reliquis graphice distinguat. Agite, *o mei*, ut illa laus propria uobis permaneat; ut, qui uos hic de tempore ad tempus excipiunt, imitatione uestri imitatione ipsi euadant sine fine dignissimi. Accedite & pollicemini mihi coram deo nostro & circumstua audientium multitudine, fore bene multum, ut hæc spes numquam decollet. Fuistis meum delicias; quum instituerem uos *Prorektor*; fuistis; quum per patronorum clementiam in *Prorektore Director* biennium ferme uos formarem. Este igitur mihi & *Rektori* flos, odor, fructus ac oblectamentum. Date mihi, sic uiam ad uos adfectanti, lautissimum hoc donum; & a me uicissim pie græteque accipite, quod mecum muneri ego uobis adfero. Quidnam ergo? Insignem omnino atque eminentem *senatus nostri* beneuolentiam, qua duo uobis, quos iam habuistis, doctores; eosdem quidem; sed tamen simul alios, condonat. Aduertite igitur & comprehendite.

Nam in nomine sacro-sanctæ trinitatis ac de mandato & auctoritate grauissimi magistratus ego, Io. Iacobus Wippelius, gymnasii huiusec rektor, & te, *Christianum Antonium Schulzium*, ex *Conrektore Prorektor*; & te, *Carolum Fridericum Michaellem*, ex *Subrektore Conrektorem* enuntio, induco, constituo, initio.

Aue igitur, *mi Prorektor*; aue igitur, *mi Conrektor*; *uiri clarissimi meique amantissimi*. Vobis ipsis tam lætus tamque facer esse hodiernus dies nequit, quam, credite, mihi est. Te enim, *præcellentissime Prorektor*, iam ante complures annos domicilii, mensæ ac operis quemdam socium accipiebam. Accipiebam uero ea lege, ut ad hæc ipsa studia, quorum pomercia nunc profers; quod præfiscini tamen & sine arrogancia dixerim, conuocarem, inflammarem, componerem. Te uero, *desideratissime*



zissime Conrektor, iam inde a scholæ subfelliis condiscipulo utebar; iam inde a *Baumgartenianis* recitationibus comite. Quare etiam atque etiam auete; utrique boni; utrique exosculandi. Gratulor uobis hæc honorum incrementa. Encomiis uos extollere me non decet: Quia amicus uester sum. Monitore me non indigetis: Quoniam ueterani iam stipendia facitis & expectationi respondetis ad amissim. Gratias mecum persoluite & numini & *optimatibus*: Quod tam diu coniunctos nunc diuulsos nos non uoluerint. Conscendite hanc ob causam cathedram, quam tueri mecum & ornare in posterum, uester labor est.

Vos autem, *auditores*, ualere; precamini pro nobis & *Leucophaeo* nostro iisque, quæ in eo hodie aguntur, plaudite.



AB: 153.727


ULB Halle 3
003 019 195



Sb.

R.







2

MONIMENTVM
RECTIONIS VICESIMÆ QVINTÆ
IN BEROLINENSI LEVCOPHÆO
COMMISSÆ; SVSCEPTÆ.

ID EST,
ORATIONES DVÆ,
QVARVM

ALTERA DE IIS AGIT,
IN QVIBVS SITVM EST,
VT BENE CONDANTVR; BENE CONSERVENTVR,
LVDI LITTERARII;

ALTERA DE
ADPLAVSV SCHOLAM
ANIMANTE
EXPONIT.

VTRAQVE HABITA PVBLICE EST
PRID. NO. APR. CLD ID CC LVIII.

PRIMAM DIXIT
VIR ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIMVS, CONSVLTISSIMVS,
DOCTISSIMVS,
FRIDERICVS AVGVST. REICHHELMIVS,
POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS;
REGIE CIVITATIS CONSVL; REERV, QVÆ AD PAVPERVM CVRAM PER-
TINENT, DIRECTOR; COLLEGII, QVOD SANITATIS AVDIT,
ADSESSOR, CET.

SECVNDAM RECITAVIT
IOHANNES IACOBVS WIPPELIVS.

BEROLINI,
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI HENNINGII,
TYPOGRAPHI REGII. CLD ID CC LX.

C. 7.